

quam consequenter his quæ prædiximus intelligi debeat. Interrogemus namque quando ista dixerit Salvator noster, vel apud quem, vel cum quo loqueretur. Invenimus sine dubio quod ad Samaritanam mulierem loquens ista protulerit: ad eam quæ putabat quod in monte Garizim secundum Samaritanorum opinionem adorari oporteret Deum, dicens: Quoniam Deus Spiritus est. Quærebat enim ab eo Samaritana mulier, putans eum unum esse ex Judæis, utrum in Jerosolymis adorari oporteret Deum, aut in hoc monte: & ita dicebat: Patres nostri omnes in monte hoc adoraverunt: & vos dicitis quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet? Ad hæc ergo quæ opinabatur Samaritana, putans quod ex locorum corporalium prerogativa minus recte adoraretur Deus, aut à Judæis in Jerosolymis, aut à Samaritanis in monte Garizim: respondit Salvator recedendum esse à præsumptione corporalium locorum huic qui vult Deum sequi, & ita ait: Venit hora ut veri adoratores, neque in Jerosolymis neque in hoc monte adorent patrem. Deus Spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Et vide quam consequenter veritatem spiritui fociat: ut ad distinctionem quidem corporum nominaret spiritum: ad distinctionem vero umbræ vel imaginis veritatem. Qui enim adorabant in Jerosolymis: umbræ vel imaginis cælestium deservientes, non veritati neque spiritui, adorabant Deum. Similiter autem & hi qui adorabant in monte Garizim.

Omni igitur sensu qui corporeum aliquid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confutato: dicimus secundum veritatem quidem Deum incomprehensibilem esse atque inæstimabilem. Si quid enim illud est, quod sentire vel intelligere de Deo poterimus, multis longè modis cum meliorem esse ab eo quod sensimus necesse est credi.

RUFFINI AD ANASTASIUM  
urbis Romæ Episcopum Apologia pro fide sua.

**A**UDIVI quosdam cum apud beatitudinem tuam controversas sive de fide, sive de aliis necio quibus questionibus commoverent, etiam mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem sanctitas velut ab ipsis incunabilis per Ecclesiasticæ traditionis regulas instituta, de absente sibi que bene & in fide & charitate Dei cognito, calumniantibus non accommodavit auditum. Ad me tamen quoniam appetitæ estimationis meæ fama pervenit: æquum putavi, ut quoniam ipse post triginta fere annos parentibus redditus sum, & durum latis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos quos tam tarde reviseram, simul & quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddidit ad iterandos labores: literis meis satisfacerem beatitudini tuæ: non ut de sancta mente tua quæ velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquum non recipit, maculam suspicionis abstergerem: sed ut æmulis adversum me forte oblatrantibus, baculum quemdam tibi confessionis meæ quo abigerentur offerrem.

Quamvis igitur fides nostra persecutionis hæreticorum tempore cum in sancta Alexandrina Ecclesia degeremus in carceribus & in exiliis, quæ pro fide inferebantur probata sit: tamen & nunc si quis est qui vel tentare fidem nostram cupit, vel audire vel discere: sciat quod de Trinitate ita credimus quod unius naturæ sit, unius deitatis, unius ejusdemque virtutis atque substantiæ: nec inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum sit proorsus ulla diversitas: nisi quod ille pater est, & hic filius, & ille spiritus sanctus. Trinitas, in personis subsistentibus, unitas in natura atque substantia. Filium quoque Dei in novissimis diebus natum esse confitemur ex Virgine & Spiritu sancto: carnem naturæ humanæ atque animam suscepisse, in qua passus est & sepultus & resurrexit à mortuis: in eadem ipsa carne resurgens, quæ deposita fuerat in sepulchro: cum qua carne simul atque anima post resurrectionem ascendit in cælos: unde & venturus expectatur ad iudicium, iudex vivorum ac mortuorum.

Sed & carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè & perfectè futuram, huius ipsius carnis nostræ, in qua nunc vivimus, non ut quidam calumniantur alteram pro hac resurrectionem dicimus: sed hanc ipsam nullo omnino ejus membro amputato, vel aliqua corporis parte defecta: sed cui nihil omnino ex omni natura sua desit, nisi sola corruptio. Hoc enim promittit sanctus Apostolus, quod seminetur corpus in corruptione, & resurgat in incorruptione; & seminetur in infirmitate, surgat

in virtute; seminetur in ignominia, surgat in gloria, & seminetur corpus animale, resurgat corpus spirituale. Hæc nobis de resurrectione tradita sunt ab his à quibus sanctum baptismum in Aquileiensi Ecclesia consecrati sumus: quæ puto ipsa esse quæ etiam Apostolica sedes tradere & docere consuevit.

Dicimus quoque & iudicium futurum: in quo iudicio unusquisque recipiat propria corporis prout gessit, sive bona, sive mala. Quod si homines recepturi sunt pro operibus suis: quanto magis & diabolus qui omnibus existit causa peccati? De quo illud sentimus quod scriptum est in Evangelio: quia & ipse diabolus & omnes angeli ejus, cum his qui opera ejus faciunt, id est, qui criminantur fratres: cum ipso pariter æterni ignis hereditatem patientur. Si quis ergo negat diabolum æternis ignibus mancipandum: partem cum ipso æterni ignis accipiat, ut sentiat quod negavit.

Audio & de anima questiones esse commotas. De qua re utrum recipi debeat quæstio, aut abijci, vos probate. Si autem & de me quid sentiam quæretur: fateor me de hac quæstione apud quamplurimos tractatorum diversa legisse. Legi quosdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani seminis traducem etiam anima diffundatur: & hi quibus id poterant assertionibus confirmabant. Quod puto inter Latinos Tertullianum sensisse vel Lactantium: fortassis & alios nonnullos. Alii asserunt quod formati in utero corporibus, Deus quotidie faciat animas & infundat: alii quod factas jam olim, id est, tunc cum omnia Deus creavit ex nihilo: nunc eas iudicio suo dispenset in corpore. Hoc sentit & Origenes & nonnulli alii Græcorum.

Ego vero cum hæc singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad præsens certi vel definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, & si cui ipse revelare dignabitur. Ego tamen hæc singula & legisse me non nego, & adhuc ignorare confiteor: præter hoc quod manifestè tradit Ecclesia, Deum esse animarum & corporum conditorem. Sane quia audio etiam inde esse disputatum, quod quædam Origenis rogatus à fratribus de Græco in Latinum transuli: puto quod omnes intelligant, hæc pro solivore culpari. Si enim aliquid est quod displiceat in autore: quare id ad interpretem detorqueatur? sicut in Græcis habetur, rogatus sum ut Latinis ostenderem. Græcis sensibus, verba dedi Latina tantummodo.

Sive ergo in illis sensibus laus inest aliqua, non est mea: sive culpa, similiter non est mea. Quinimo etiam illud adjecti, sicut in præfatuncula mea designavi, ut in quantum possem aliquanta deciderem: illa tamen quæ mihi in suspicionem veniebant, quod non ab ipso Origene ita dicta, sed ab aliis viderentur inserta, propter hoc quod de eisdem rebus in aliis locis ejusdem auctoris catholice dictum legeram.

Nemo ergo mihi ex hoc quæso te sancte ac venerabilis & beate pater conflet invidiam: nemo factionibus utatur & calumniis: quod in Ecclesia Dei fieri non licet. Ubi enim simplicitas tuta erit & innocentia, si hic non erit? Origenis ego neque defensor, neque assertor sum, neque primus interpretes. Alii ante me hoc idem opus fecerunt, feci & ego postremus rogatus à fratribus. Si juberetur ne fiat, iussio observari debet in posterum. Si culpantur, qui ante iussionem fecerunt: culpa à primis incipiat. Ego enim præter hanc fidem quam supra exposui, id est, quam Romana Ecclesia & Alexandrina & Aquileiensi nostra tenet, quæque Jerosolymis prædicatur, aliam nec habui unquam in isto homine, nec habeo nec habebō. Et si quis aliter credit quisque ille est, anathema sit. Reddunt autem in die iudicii rationem, hi qui offensivula & dissensiones & scandala fratibus propter invidiam solam generant & livorem.

ANASTASII ROMANI EPISCOPI  
ad Jerosolymorum Episcopum  
de Ruffino sententia.

**P**ROBATE quidem affectionis est hoc, ut laudabiliter de sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissime contulisti: et amoris tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis & eas quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo parvitas nostræ

favorabilis sermo prosequitur: tam eminenter vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulgore nitore conspicuus: ut par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod impetare nequeo, audere non desinam. Jam hoc de laudibus est tuis: quod me tantum de cælestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus ordo, perspicuus per diversum orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. In me quippe totum amicitie tribuis, examini nihil relinquis. Aut si jure me laudas: tu quoque similiter relaudandus non es? Obsecro igitur ob utrumque ut memetipsum laudare jam desinas. Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne confacerdotis tui sensibus aut dolore falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat.

Sed ad causam revertar. Ruffinus de quo me consulere dignatus es: conscientia suæ habet arbitrum divinam majestatem: apud quam se integro devotionis officio ipse viderit, qualiter debeat approbare. Origenes autem cujus in nostram linguam composita derivavit, ante quis fuerit, in quæ processerit verba, nostrum propositum nescivit.

Quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper hoc conferam sanctitate. Hoc igitur mente concepi: quod qui urbis nostræ populis de translata Origenu lectione patefecit: quendam puris mentibus velut nebulam excitans injectam, fidem Apostolorum majorum traditione firmatam, velut de viis anfractibus illum voluisse dissolvere. Dicere hoc loco libet quid agat in Romanam linguam ista translatio. Approbo si accusat auctorem, & execrandum factum populis prodit: ut iustus tandem odiis teneatur, quem jam dudum fama constrinxerat. Si vero interpretes tantorum malorum erroribus confensum præstat, & legenda impia dogmata prodit in populos: nihil aliud sui opera laboris extruxit: nisi ut proprie veluti mentis arbitrio, hanc quæ sola & que prima apud catholicos Christianos vera fides, jam ab Apostolis exinde usque ad tempus præsens tenetur, inopinatè titulo assertionis evertatur.

Ab sit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam catholica disciplina. Nunquam profecto eveniet, ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure meritoque damnamus. Quapropter in toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia, probare dignabitur, accipere nos omnino non posse, quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionisque disponant.

Quare nosce qualem Epistolam ad fratrem & coepiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmissit: sibi que hanc conscientiam fecerim, quod non superflua laborem formidine, neque vano timore sollicit: mihi certe cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos: partesque populi mei per queque spatia diversa terrarum diffusas, quantum possum literis convenire, ne qua prophane interpretationis origo subrepat: quæ devotas mentes immissa sui caligine labefactare conetur. Illud quoque quod evenisse gaudeo, tacere non potui: beatissimorum principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens, ab Origenu lectione revocatur: damnandumque sententia principum, quem lectio rerum prophana prodiderit. Hactenus sententiæ meæ forma processerit.

Quod te vero vulgi de Ruffino querela sollicitat, ut quosdam malis suspicionibus persequaris: hanc etiam opinionem constringam divinæ lectionis exemplo, sicut scriptum est: Non sicut videt homo, ita & Deus. Nam Deus videt in corde, homo in facie. Itaque frater charissime omni suspicionem seposita, Ruffinum scito, quod propria mente Origenu dicta in Latinum transulit ac probavit: nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiiis præstat assensum. Illud tamen te scire cupio, ita haberi à nostris partibus alienum: ut quid agat, ubi sit, nec scire cupiamus, Ipse denique viderit, ubi possit absolvi.

RUFFINI AQUILEIENSIS IN DIVUM  
Hieronymum Invectivarum Liber primus.

**P**ERLEGI scripta tua, Aproniane charissime, quæ ab amico & fratre bono de Oriente ad virum nobilissimum Pammachium missa transmisiisti ad me: recordatus sum sermonis prophetici qui ait: *Filii hominum dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum machæra acuta.* Verum ad hæc vulnera que infliguntur ex lingua inter homines, meo Tom. V.

dicus pene nullus est. Et ideo converti me ad Jesum cælestem medicum, qui mihi antidotum potentissimum dedit de Evangelii sui pixide prolatum, quod vim doloris spem futuri apud se justis examinis solaretur. Potio ergo ipsa quem temperavit Jesus, hæc erant verba: *Beati, inquit, estis cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint adversum vos omne malum mentientes. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Sic enim persecuti sunt & Prophetæ qui erant ante vos.* Et ego quidem quantum in me est hoc medicamento contentus, de reliquo filere decreveram, dicens apud me ipsum: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quanto magis nos, licet indignos, domesticos ejus?* Et si illi dictum est: *quia seductor est & seducit turbas:* ego cur indignus si audiam me hereticum dici: & pro ingenii tarditate, vel potius cæcitate talpam nominari? Et cum Dominus meus imo omnium Deus Christus dictus sit *homo vorax, & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum:* ego cur indignus si audiam homo carnalis & in deliciis degens.

Verum quoniam respondendi mihi vel ex parte iusta quædam necessitas videtur imponere: eo quod dicatur multos offendi de his quæ ab eo scripta sunt: nisi quid sit in causa pandatur: compellor contra votum meum & propositum respondere, ne forte reticendo videar crimen agnoscere, quamvis Christiano cætera crimina silendo depellere, exemplo Domini gloriosum sit: sed tamen hoc in fide si fiat, maximum scandalum generat.

Quia ergo in initiis hujus invectiois suæ promittit se omnesurum personas: & rebus tantum & criminibus responsurum: utrumque autem falsum est, nam cui respondeat crimini quod nullus ostendit? Quomodo autem omittit personas cum interpretem librorum toto invectiois suæ textu indefinenter inculet & laceret: Nos omnia omni ironia & sarcasmo tergiversatione, quæ Deo execrabilis est, licet incomptis verbis & oratione incomposita respondebimus: veniam imperitiæ nostræ à legentibus concedendam, non immerito præsumentes: quia non alios accusamus, sed nosmetipsos à maledictis purgare contendimus. Et ideo studemus: ut non tantum in nobis sermo quantum veritas luceat.

Sed priusquam incipiam purgare cætera, illud cum antè omnia verè dixisse confiteor: quod ait se non reddere maledictum pro maledicto: hoc satis verum est: non enim pro maledictis, sed pro benedictis & laudibus convicia & maledicta restituit. Neque, ut ait, verberanti dexteram maxillam offert alteram: sed palpani & leviganti maxillam, & morsum improvvisi dentis inhigit. Cum enim nos in eo eloquentiam ac studium laudaverimus (interpretando duntaxat ex Græcis) & fidei ejus nusquam derogaverimus: ille utrumque in nobis damnat: & ideo veniam etiam ipse nobis concedat, si forte aliquid, aut asperius, aut incomptius dicimus: quia imperitum hominem ad respondendum lacepsit, quem sciret non posse per multam dicendi artem & eloquentiam copiam id agere: ut is quem læsum vellet ac vulneratum, nec vulneratum videatur esse nec læsus.

Hoc ergo eloquentiæ genus ab ipso requiratur, qui ad culpandum seu vituperandum levi rumusculo commotus, velut quis censor accurrit. Qui vero objectas depellere à se maculas cupit, necessitate sibi responsionis imposita, non quam eleganter & ornate: sed quam vere respondeat cogitabit. Et quoniam inter principia ipsa ait, quasi sine me hæretici esse non possint: primo hoc nobis ostendendum est, quod nec cum ipso nec sine ipso hæretici sumus: ut cum de nobis consulerit quid simus, tunc demum nec de aliorum quidem dictis ad nos retorqueri possit infamia.

Ego, sicut & ipse & omnes norunt, antè annos fere triginta in monasterio jam positus, per gratiam baptismi regeneratus, signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros Chromatium, Jovinum, & Eusebium, opinatissimos & probatissimos in Ecclesia Dei Episcopos: quorum alter tunc presbyter beate memoriæ Valeriani, alter archidiaconus, cam fidem. alius diaconus simulque pater mihi & doctor symboli ac fidei fuit. Illi ergo sic mihi tradiderunt, & sic teneo, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus unius deitatis sint; unius substantiæ, coætærna, inseparabilis, incorporea, invisibilis, incomprehensibilis Trinitas: & sibi soli, ut est, ad perfectum nota: quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius. Et Spiritus sanctus est qui scrutatur etiam alta Dei: & ideo caret omni visibilitate corporea: sed intellectuali illo deitatis oculo videt Patrem Filium & Spiritum R ij

His abne possunt scelerati & hypocritæ.

Hieronymum arguit falsitatis & hypocritæ.

Simulare laudes hæreticorum sunt maledicta Catholico, quod Ruffinus ignorat.

Non levis est rumusculus circi fidem.

Ruffinus ubi baptizatus & a quo fuit edoctus Catholice fidei.

Fidei constantiæ, coætærna, inseparabilis, incorporea, invisibilis, incomprehensibilis Trinitas: & sibi soli, ut est, ad perfectum nota: quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius. Et Spiritus sanctus est qui scrutatur etiam alta Dei: & ideo caret omni visibilitate corporea: sed intellectuali illo deitatis oculo videt Patrem Filium & Spiritum R ij



sanctus, sicut Pater videt Filium & Spiritum sanctum: necesse  
propterea ulla in Trinitate diversitas, nisi quod ille Pater est,  
& hic Filius, & ille Spiritus sanctus. Trinitas in personarum  
distinctione: unitas in veritate substantie: & quod unigenitus  
Filius Dei, per quem a principio omnia quae sunt, facta  
sunt, sive visibilia sive invisibilia, in novissimis diebus car-  
ne humana suscepta, homo factus est, & passus est pro salu-  
te nostra. Et tertia die suscitatus illa ipsa carne, quae postea  
fuerat in sepulchro, resurrexit a mortuis. Et cum ipsa eadem  
carne glorificata ascendit ad caelos: unde & expectatur ventu-  
rus ad iudicium vivorum & mortuorum.

Sed & simili modo nobis quoque spem resurrectionis de-  
dit: ut eodem ordine, eadem consequentia, pari eademque  
forma qua ipse Dominus resurrexit, nos quoque resurrectu-  
ros esse credamus: non nubes aut auras tenues, ut calumnian-  
tur: sed haec ipsa, in quibus nunc vel vivimus vel morimur  
nostra corpora recepturi. Nam quomodo verum erit quod  
resurrectionem carnis credimus, nisi in ea verè & integrè car-  
nis huius natura servetur? Absque ulla ergo praestigijs, verè  
& integrè carnis huius nostrae, in qua nunc sumus, resurre-  
ctionem fatemur.

Verum ad maiorem rei fidem addo aliquid amplius: &  
calumniosorum necessitate compulsus, singulare & praecipuum  
Ecclesiae nostrae mysterium pando. Etenim cum omnes Eccle-  
siae ita sacramentum symboli tradant, ut postquam dixerint  
peccatorum remissionem, addant carnis resurrectionem: fan-  
cta Aquileiensis Ecclesia Dei Spiritu futuras adversum nos cal-  
umnias praevidente: ubi tradit carnis resurrectionem, addit  
unius pronomini syllabam: & pro eo quod caeteri dicunt,  
carnis resurrectionem: nos dicimus, huius carnis resurrectio-  
nem: quo scilicet frontem, ut mos est, in sine simboli signa-  
culo contingentes: & ore carnis huius videlicet quam con-  
tingimus resurrectionem fatentes: omnem venenatè ad-  
versum nos linguè calumniandi aditum praestruamus. Est  
ne aliquid hac confessione plenus? Est aliquid ista expo-  
sitione perfectius?

Sed nihil ut video, profuit nobis tanta haec cautela Spi-  
ritus sancti. Inveniunt adhuc male loquaces linguae calumnan-  
di locum. Membra, inquit, singula nominatim nisi dixeris:  
& caput cum capillis suis, manus, pedes, ventrem, atque ea  
quae sub ventre sunt, nisi expressius designaveris, carnis re-  
surrectionem negasti.

Haec sunt novelli sapientis inventa, quae beatos Apostolos  
tradentes fidem Ecclesiae latuerunt: nec ulli sanctorum nisi  
huic soli per carnis spiritum revelata sunt. Et nunc indecen-  
ter quidem proponit: sed audiat & honestius & verius quam  
proponit. Primitia dormientium Christus est, qui & primo-  
genitus ex mortuis dicitur: sicut & Apostolus de resurgenti-  
bus dicit: Initium Christus est, deinde hi qui sunt Christi.  
Habentes ergo indubitatas resurrectionis nostrae primitias  
Christum: quid de caeteris dubitamus: cum certum sit quod  
qualibus membris, & qualibus capillis, qua carne, & qui-  
bus ossibus Christus resurrexit, & nos omnes resurgamus?  
Quia & ipse propterea se post resurrectionem palpandum dis-  
cipulis praebuit, ne ulla de resurrectione ejus cunctatio rema-  
neret. Cum ergo ita evidens, & (ut ita dicam) palpabile &  
manu atrectandum nobis Christus dederit suae resurrectionis  
exemplum: ita aliquis insanit, ut aliter se resurrecturum pu-  
tet, quam resurrexerit ille qui primus resurrectionis aditum  
patefecit? Unde etiam illud veritatem huius confessionis af-  
firmat: quod natura quidem carnis huius est ipsa, nec ulla  
alia quae resurget, purgata tamen a vitiis resurget corruptio-  
ne deposita: ut verum sit illud quod dicit Apostolus: *Quia se-  
minatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in  
ignominia, surget in gloria: seminatur corpus animale, sur-  
get corpus spirituale.* Tanquam ergo spirituale & gloriosum,  
& incorruptibile corpus, suis proprijs & non aliunde assump-  
tis exornabitur & illustrabitur membris: secundum eam glo-  
riam quam propositum nobis Christi servat exemplum sicut  
Apostolus dicit: *Qui transformabit corpus humilitatis nostrae,  
conforme corpori claritatis filii sui.*

Cum igitur per omnia in resurrectionis spe Christus pro-  
ponatur ad formam, & primogenitus ipse sit resurgentium:  
atque omnis creatura ipse sit caput, sicut scriptum est: *Qui  
est caput omnium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus  
ipse primatum tenens*: quid inaniter verborum pugnans, &  
malarum suspicionum certamina commovemus: cum in ea  
confessione quam supra exposui, Ecclesiastica fides consistit:

Particula  
Symboli  
Ecclesiae  
Aquileien-  
sis.

Frans si-  
gnata in fi-  
ne Symboli.

Hierony-  
mum car-  
pit, & inde-  
centem di-  
cit.

& clarum sit quod ad inculpandum non moveat aliquem diver-  
sitas fidei, sed perveritas animi? Verum quoniam in hoc lo-  
cum de resurrectione carnis argueret, ut ei mos est, mis-  
cuit, seris ridicula & ludicra, dicens mulieres quasdam de  
nostris, mamillas suas tenentes, vel leves contrectantes  
genas cum plausu faemoris & ventris dicere solere: quid no-  
bis prodest resurrectio, si corpus iterum fragile resurget?  
Futurae angelorum similes, angelorum habebimus & natu-  
ram. Quas hic mulierculas inculset, & si laceratione dignae  
sint, ipse viderit. Aut si eum se putat qui praedicat, non esse  
suum talione mordere: vel certe si aequanimiter fert suas mu-  
lierculas, veris & non fictis neque commentitijs remor-  
deri: hic inquam, ipse viderit. Nos interim quod ille pro-  
miserat implentes, non reddimus talionem. Sed ut video,  
illi cui displicet mulier, quae negat se ex resurrectione fragile  
corpus habituram, sine dubio placet ei fragilitatem corporis  
permanfuram. Et ubi est quod dicit Apostolus: *Seminatur  
in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale,  
surget corpus spirituale: quam fragilitatem vis esse in corpore  
spirituali?* Et quod resurget in virtute: quomodo iterum  
fragile erit? In virtute quod fragile est, quomodo erit? Non-  
ne melius dicunt mulierculae quam tu, quae negant ultra fra-  
gilitatem corpori dominaturam? Quid illas irrides, quae se-  
quantur Apostolum dicentem: *Quia corruptibile hoc induet in-  
corruptionem: & mortale hoc induet immortalitatem?* Apostoli  
non docuerunt fragile corpus futurum esse, quod resurget a  
mortuis: sed e contrario in virtute & in gloria resurrecturum ad-  
dicunt. Tu hoc unde nunc profers? Nisi forte à Judaeis ali-  
quibus nova nunc lege promulgatur Ecclesiae, ut etiam ista  
dicamus. Est enim Judaeorum verè de resurrectione talis opi-  
nio: quod resurgent quidem, sed ut carnalibus delicijs & luxu-  
rijs, caeterisque voluptatibus corporis perfruantur. Quae au-  
tem alia est fragilitas corporis, nisi corruptela membrorum, ir-  
aditio gulae, & incitamenta libidinis?

Sed patimini quaeso vos, si tamen Christum amatis: in  
incorruptione absque his esse corpus quod resurget a mortuis,  
fas sit aliquando cessare. Credamus in resurrectione desinere  
etiam licitos coitus, ne & illiciti subrepat quamdiu horum  
non sit oblitio: quid tam sollicitè, quid tam curiosè discuti-  
tur & pertractatur venter, & ea quae sub ventre sunt? Et nos  
carnales & deliciosos esse dicitis: cum vos ut video ab his  
cessandum, nec in resurrectione creditis. Neque ergo natu-  
ram carnis huius in qua nunc vivimus resurgere denegemus:  
neque rursus cum ea carnis vitia pariter involvamus. Sed caro  
quidem resurget, & non alia pro alia, sed haec ipsa: nec natu-  
ram perdet, sed fragilitatem & vitia deponet: Alioquin nec  
immortale erit quod fragile permanferit. Et ideo nos neque  
vobiscum, neque sine vobis haeretici sumus, Ecclesiae enim  
fides, cujus nos alumni sumus, media incedens inter utrum-  
que discrimen, neque naturae carnis vel corporis (quod re-  
surget a mortuis) denegat veritatem, neque contra Aposto-  
li sententiam incorruptionem futuri regni dicit à corruptione  
possidendam. Non ergo carnem, vel corpus, perditis, ut ais,  
aut amputatis membris resurgere dicimus: sed totum & in-  
tegrum, corpus corruptione tantum & ignominia ac fragilitate  
deposita, atque omnibus mortalitatis vitijs pariter amputatis:  
ita ut nihil profus ex natura sua desit spirituali illi corpori,  
quod resurget a mortuis nisi illa corruptio.

Latus quam proposueram, huic uni titulo de resurrectio-  
ne respondi: verens ne iterum per brevitate aliquibus cal-  
umnias pateremus: & ideo non solum corporis in quo cal-  
umnietur, sed & carnis fecimus frequenter mentionem: &  
non solum carnis, sed addidimus huius carnis: & non so-  
lum huius carnis, sed & naturam huius carnis commemora-  
vimus: nec contenti fuimus hoc: sed ne membrorum quidem  
resurrecturis integritatem diximus desaturam. Ita tamen ut  
secundum Apostoli definitionem, corpus quod resurget ex  
corruptibili, incorruptibile: ex ignobili, gloriosum: ex  
fragili, immortale: ex animali, spirituale credatur: ita ut de-  
mum spiritualis corporis membra, absque ullis esse corruptelae  
vel fragilitatis suspicionibus sentiamus.

Designavi fidem meam de Trinitate: designavi de incar-  
natione, passione ac resurrectione, & de secundo adventu  
in gloria, & iudicio futuro Domini salvatoris nostri. Desig-  
navi & de resurrectione carnis nostrae: & nihil (ut opinor)  
ambiguum dereliqui. Quid nunc superest? Nihil arbitror  
quantum ad fidem pertinet.

Sed in eo te, inquit, arguo: quod Origenem interpreta-

tes es: qui restitutionem omnium dicit futuram: in qua non  
solum omnes peccatores absolvendos, sed & ipsum diabolum  
& angelos ejus, quandoque dixit relaxandos esse de penis: ut  
restitutio omnium consequenter possit intelligi. Et animas ante  
dicit creatas esse quam corpora, easque de caelo deductas, &  
corporibus insertas.

Ego nunc nihil pro Origene ago, nec Apologeticum pro  
ipso scribo. Sive enim stat apud Deum, sive lapsus est, ipse  
viderit, suo Domino stat aut cadit. Sed cogor in aliquibus  
repertere: quia inter caetera quae culpant in nobis, etiam in-  
vidiosus hoc addidit, dicens: me hoc opus ad interpretan-  
dum delegeris, quod neque ipse, neque alius quis veterum  
interpretum delegisset. Huius ergo rei causam primò cur hoc  
opus potissimum adorsus sum, quia hinc maxime mordeor,  
quam potero paucissimis & verissimis absolvam. Licet id apud  
te, fili mi charissime, qui rem ut gesta est nos, superfluum  
videatur: tamen & ignorantia convenit noscere: simul etiam  
quia & hoc non solum ipse, sed & omnis schola ejus ja-  
ctat de nobis, quod cum aliter promissis nos in praefa-  
tionibus transtuleros, aliter fecerimus in opere: ideo non so-  
lum ipsis, sed & alijs respondebimus, quibus vel proprius livor  
mentem, vel criminatio aliena, conturbat.

Vir fidei, eruditione, nobilitate, vita clarus, Macarius  
cum opuscula adversus fatum, vel mathesim haberet in ma-  
nibus, eaque utili & pernecessario labore componeret: in ali-  
quantis vero quia erat perdidicissimus materia, de divina provi-  
dentia disserere dispensationibus haesitaret: per soporem sibi  
à Domino tale aliquid dicebat ostensum: quod navis ei qua-  
dam demonstraretur eminus adventare per pelagus, quae cum  
portum fuisset ingressa, nodos suae haestitationis abolveret.  
Exurgens vero cum de visu sollicitus cogitaret, nos superve-  
nisse aiebat in tempore: quibus continuo & opuscula sua, &  
ambiguitatem indicavit & visum. Quid porro Origenes,  
quem opinatissimum apud Graecos audierat, sentiret de tali-  
bus percunctatur, breviterque sibi ejus de singulis quibusque  
sententias orat exponi. Ego rem primum dicebam factu esse  
difficilem: sanctum tamen Pamphilum martyrem dixi qua-  
dam ex parte tale aliquid operis conscripsisse in Apologetico  
suo. Continuo id sibi poscit in Latinum verti. Nullum dicebam  
me usum huiusmodi operis habuisse: ad Latinum sermo-  
nem tricennali jam penè incuria torpuisse. Perstitit tamen de-  
precans qualicumque sermone notitiam sibi tantum eorum  
quae cupiebat ostendi. Cumque id quo potui sermone fecis-  
sem: majori desiderio accensus est ad illa ipsa plenus cognos-  
cenda: è quibus pauca illa quae transtuleram videbantur as-  
sumpta. Excusantem me urgere vehementius cepit, & sub  
Dei testimonio convenire: ne sibi ad opus bonum quae se au-  
xilia juvare possent denegaret. Cumque vehementer insiste-  
ret, & desiderium ejus secundum Deum esse perspicere:  
acquievi tandem & interpretatus sum quidem. In praefatiun-  
culis tamen utriusque operis, & maxime in Pamphili libello,  
quem primum transtuleram, exposui primum omnium fidem  
meam: & protestatus sum, me quidem ita credere, sicut fides  
catholica est. Si quid autem vel legeretur vel interpretaretur à  
me: id me salva fidei meae facere ratione.

In istis vero *ἐπιεικῶ* libellis, etiam illad admonui: quod  
cum in ipsis libris invenirentur quaedam de fide ita catholicè  
scripta ut Ecclesia praedicat: quaedam autem his contra-  
ria, cum de una eademque re dicantur: mihi visum sit  
haec secundum illam semper regulam proferenda quam ipse  
catholicae sententiae expositione protulerat: & ea quae à semet-  
ipso invenirentur esse contraria, vel inserta ab alijs, id enim  
Epistolae suae querimonia contestatur, abjicerem: vel certe ut  
nihil adificationis in fide habentia praereterem.

Non autem superfluum puto videri, inserere etiam ipsa  
loca de praefatiunculis meis: ut nihil careat teste quod dicimus.  
Sanè ne in legendo error sit ex his quae huic scripturae nunc  
aliunde inserimus: si quidem me fuit, simplices adversum  
capita habent notas: si accusatoris mei, duplices.

Ex praefatiuncula in Apologetico Pamphili, post aliquan-  
ta, ita diximus: Qualiter ergo sentiat Origenes, tenor libelli  
hujus doceat. De his autem quae apud eum contraria sibi  
inveniuntur: quid causae sit, in ultimo brevi adjecta asser-

Errores  
Origines.

Simulatio  
haeretica  
Ruffini.

Invidia ac-  
cusat Hiero-  
nymum.

Accusatio  
falsa Ruffi-  
ni.

Macarii  
laudes.

tione docebimus. Nos autem sicut traditum est nobis à sanctis  
Prophetis ita tenemus: quod sancta Trinitas coaeterna sit, &  
unius virtutis atque substantiae, & quod Filius Dei in novissi-  
mo tempore homo factus est, & pro peccatis nostris passus  
est: & in ea ipsa carne, in qua passus est, resurrexit a mor-  
tuis: propter quod & resurrectionis spem humano generi tri-  
buit. Carnis vero resurrectionem, non per aliquas praesti-  
gias, sicut nonnulli calumniantur, dicimus: sed hanc  
ipsam carnem, in qua nunc vivimus, resurrectionem cre-  
dimus: non aliam pro alia, neque corpus aliud, quam huius  
carnis dicimus.

Sive ergo corpus resurrecturum dicimus, secundum Apo-  
stolum dicimus: hoc enim nomine usus est ille. Sive car-  
nem dicimus, secundum traditionem symboli confitemur.  
Stulta enim adinventio calumniae est, corpus humanum aliud  
putare esse quam carnem. Sive ergo carnem secundum com-  
munem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicimus,  
quod resurget: ita credendum est, sicut Apostolus definit.  
Quia quod resurget, in virtute resurget, & in gloria, & in-  
corruptibile ac spirituale corpus. Salvis ergo praerogativis fu-  
turi corporis vel carnis, resurrectio carnis credenda est inte-  
gra atque perfecta: ut & natura carnis eadem servetur: &  
incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria non infrin-  
gatur. Sic enim scriptum est: *Quia corruptio incorruptionem  
non possidebit.* Haec sunt, quae in Hierosolymis in Ecclesia Dei,  
à sancto Sacerdote ejus Joanne praedicantur: haec nos cum  
ipso & dicimus & tenemus. Si quis praeter haec vel credit  
vel docet, vel à nobis aliter credi quam exposuimus putat, ana-  
thema sit.

Nostrae ergo fidei documentum si quis habere vult, ha-  
beat ex his. Si quid autem legimus, aut disserimus, aut in-  
terpretamur, salva huius fidei nostrae facimus ratione: secun-  
dam Apostolum *omnia probantes, quod bonum est tenentes:  
ab omni specie malanos abstinentes. Et si qui hanc regulam se-  
quuntur: pax super illos, & super Israel Dei.*

Cum igitur haec ego antequam calumniosorum aliquis  
exurgere de mea fide praefatus sum: ne quis forte diceret  
quod ab ipsis admonitus vel coactus, haec modo dicerem quae  
ante non senseram: cumque me si quid illa interpretandi  
necessitas poposcisset, integro fidei meae statu facturum esse  
promiserim: quomodo adhuc locus calumniantibus datur,  
cum utique prima confessionis meae vox, ab omni suspitione  
contrarii dogmatis tutum me faciat & munim.

Praeterea enim ut & superius praedixi, Domini sermone  
didici: quia ex suis uniusquisque verbis, & non ex alienis vel  
justificabitur vel condemnabitur. Sed & in ea nihilominus  
praefatiuncula quam in ipsis *ἐπιεικῶ* libris praemisimus,  
qualiter interpretationis nostrae fidem observandam dixerim-  
us, ex ipsis aequè sermonibus comprobetur. Aequum nam-  
que est etiam ex ipsa quae ad rem pertinent inferri. Nam cum  
honoris gratia mentionem fecissemus huius viri, qui haec  
nunc adducit ad crimen, pro eo quod ante nos ipse prior  
Origenis quamplurima fuisset interpretatus: & ejus vel elo-  
quentiam in explicando, vel in interpretando diligentiam  
laudassimus, eumque nobis secundum in opere simili dice-  
remus, post aliquanta etiam ad hoc adjecimus: Hunc ergo  
etiam nos, licet non eloquentiae viribus, disciplinae tamen re-  
gulis in quantum possumus sequimur, observantes hoc ne ea  
quae in libris Origenis à semetipso discrepant inveniuntur at-  
que contraria, proferamus.

Memento qui legis, ne hic te brevis dicitur sermo praete-  
reat quem dixi: quia non proferam ea quae in libris Origenis  
à semetipso discrepantia inveniuntur atque contraria. Non  
enim generaliter promisi me prolaturum quae essent fidei con-  
traria, sed quae ipsi sibi essent contraria, vel quae à semet-  
ipso discrepant, non quae à me vel ab alio aliquo discrepa-  
rent. Non ergo hoc sermone subripientes inimici calum-  
nias generent, ut dicant me promississe, quia si quid contra-  
rium est, vel discrepat à fide nostra proferam. Hoc etiam si  
facere potui, tamen promittere non audeo. Et si quidem  
factum hoc in opere meo invenies, amplecti poteris. Si vero  
in aliquo tibi minus impletum videtur, culpae non poteris,  
quia confessionis meae tale vinculum non tenes.

Sed coniungamus etiam caetera. Cuius diversitatis, inquam,  
causas plenius tibi in Apologetico quem Pamphilus pro li-  
bris ipsis Origenis scripsit edidimus, brevissimo libello su-  
peraddido, in quo evidentibus, ut arbitror, probamentis, &  
corruptos esse in quamplurimis ab haereticis & malevolis li-  
R ij